

oblatis, simul cum pecuniis Mardurinalibus, semota absque vltiori dilacione, reddere et exolui facere, et nullam aliquam vltiorem dilacionem in ea facere velitis, ne duplex et nobis ac vobis et colonis vestris ad id cumulus laboris accedat. Nam nos, certi estote, istas pecunias non pro nostro priuato, sed pro istius et illius Regnorum nostrorum communi commodo et utilitate et potissimum pro solucione Banorum illius Regni nostri, et de Jaycza, que omnia vt inplurimum pro defensione vestra cedunt, postulauimus, quibusque iam pro maiore parte deputauimus; ad eiusdem itaque subsidii iam vt prefertur, per vos oblatis, et etiam viginti denariorum, hoc est, pecuniarum Mardurinalium dicacionem et connumerationem Fidelem nostrum Egregium Benedictum de Wemer, Capitaneum nostrum Segniensem, elegimus et deputauimus; penes quem vos quoque, si placuerit, et volueritis, hominem vestrum ex illo Regno nostro, Fidelem nostrum Egregium Magistrum Nicolaum Woykffy Prothonotarium eiusdem Regni nostri pro maiori cautela et aliqua suspicione euitanda eligere poteritis. Ob eam rem requirimus fidelitates vestras, et nichilominus eisdem committimus, quatenus acceptis presentibus prefatum Benedictum de Wemer, vna cum preattacto Magistro Nicolao, vt premisimus, tam ad predicti subsidii, quam pecuniarum Mardurinalium dicacionem exmittere et exmitti facere, eisdemque pecunias quantocius exolui et administrari facere debeatis, et teneamini; vt nos quoque cum illis pecuniis Banis ipsis et aliis occurrentibus negotiis in tempore solucionem facere et providere valeamus. Ac ea omnia, que iidem homines nostri vobis nomine nostro dixerint, credere et facere debeatis. Aliud non facturi. Datum Bude feria quarta proxima post festum Resurrectionis Domini. Anno eiusdem Millesimo quadringentesimo nonagesimo nono.

Intitulationis tenor:

Egregiis et Nobilibus Vniuersitati Nobilium Regni nostri Sclauonie fidelibus nobis dilectis.

*(Sigillum Regium ab extus appressum.)*

Orig. carth. in Archivo Regni Croatiae. Priv. Nr. 83.